

www.e-rara.ch

Quae fides et religio sit capessenda, consultatio

Lessius, Leonardus

Typis, & sumptibus Principalis Monasterii S. Galli, Anno MDCCLII [1752]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13124

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102312>

Consideratio decima, & conclusio totius deliberationis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

demptionis Christi participatione, sine remissione peccatorum, salvus esse potest; ut ubique Scriptura, præsertim novi Testamenti docet. Nulla ignorantia efficere potest, ut absque istis salutem aliquis consequatur. Nullum itaque hîc est effugium; vel illi omnes damnati sunt, vel Religio Lutheri, & Calvini in primario suo dogmate de Justificatione falsa, & impia.

En duodecim Rationes, quibus clarè demonstratur, Religiones istas novas esse vitandas tamquam falsas, & perniciosas. Sequitur nunc ultima Consideratio.

Consideratio decima, & conclusio totius Deliberationis.

Postremò illa Religio amplectenda in vita, quam in hora mortis nos tenuisse volumus, & cujus justam rationem, cum ante tribunal Christi stabimus, reddere poterimus. De rebus enim agendis non potest melior institui deliberatio, quam ex mortis, & judicij æterni consideratione: nimirum, ut illud hîc deligamus,

mus, quod in illo articulo nobis maximè possit prodesse; illud vitemus, quod nobis tunc certam perniciem, vel saltem periculum adferre possit. Atqui talis est Religio Catholica. Quòd enim instante morte hanc præferemus, patet.

Primò, Plurimorum exemplo, qui etsi hæreticè vixerint, quando tamen moriendum est, cupiunt mori Catholici: judicant enim id esse securiùs.

Secundò, Quia quisque tunc optat se plurima opera bona fecisse, & magno studio omnia peccata vitasse; ad quorum utrumque inducit efficaciter Religio Catholica: ad neutrum Lutherana, vel Calviniana, sed potiùs ad bonorum operum contemptum, & licentiam vitæ.

Tertiò, Quia Religio Catholica habet multa remedia, quæ in tremendo illo transitu non sunt contemnenda, ut pœnitentiam peccatorum, absolutionem sacerdotum, Sacramentum extremæ Unctionis, Eucharistiæ, quæ magnam consolationem, & fiduciam fidelibus adferunt,

his enim satisfactio Christi nobis communicatur. Nuda illa fides, res est valdè frigida, & imbecilla in illo articulo. Quomodò enim ferid tibi persuadere poteris Christum tibi esse propitium, te esse justum, & salvandum per Christum, qui remedia ab ipso instituta contemnis, & extra communionem Ecclesiæ Catholicæ mori constituis? Omnes sectæ hujus temporis hanc fidem jactant, & tamen non omnes salvæ fient. Unica enim est vera Christi Religio, extra quam nemini est salus; ut non solum omnes Catholici, sed etiam Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ docent. Nihil ergò proderit illa tua fides specialis, nisi Christi veram Religionem teneas.

Quid Catholicus in extremo iudicio respondebit.

Quòd etiam facilè rationem sui facti supremo Judici reddituri sint, qui Catholicam fidem sunt sectati, neque hac ex parte aliquid eis periculi impendat, perspicuum est. Faciamus enim me stare ante tribunal illud tremendum, & interrogari, cur Religionem Catholicam, seu Papisticam, ut illi vocant, sectatus sim, & non potius eâ desertâ ad novam illam ex Calvinii reformatione creatam transferim. Respondebo cum summâ

mâ securitate : Ideò Catholicam tenui , quia hæc docet à rebus terrenis avocare animum , & transferre ad amorem cælestium : docet carnem domare , & DEI timore configere , bonis operibus insistere , Superioribus obedire , vacare orationi , & omnem peccandi licentiam præscindere. Ideò Catholicam tenui ; quia in hac video plurimos , sapientiâ , sanctitate , miraculis , & prophetiæ spiritu toti mundo admirabiles ; quos impossibile est in tanto negotio fuisse deceptos : quia huic video singulis sæculis à DEO per miracula plurima testimonium perhiberi : quia in hac video divinas promissiones impleri : est enim hæc diffusa per totum orbem. Ad hanc facta est hætenus , & fit assiduè Gentium conversio : in hac summa Doctorem omnibus sæculis in capitibus fidei concordia : in hac successio perpetua cathedræ , & ministrorum omnium cum Apostolis connexio : in hac omnium controversiarum velox decisio. Hæc per tot sæcula contra omnes hæreses , & persecutiones Tyrannorum stetit immobilis , nec quidquam portæ inferi adversus eam prævalere potuerunt. Contraria omnia in

istis novis Religionibus deprehendi. Nulla itaque fuit mihi ratio ab hac Religione discedendi, aut ullo modo de ea dubitandi.

Verùm, ut cætera, quæ commemoravi omittam; nonne satis est ad omnem securitatem, quod conscius mihi sim, eandem Religionem me secutum, quam video secutos viros sanctissimos, & miraculis clarissimos, Malachiam, Bernardum, Dominicum, Franciscum, & alios omnes, qui jam à quingentis annis cælesti conversatione, & stupendis operibus orbi fuerunt admirationi? Clarè enim constat, fieri non potuisse ut illæ cælestes animæ, DEO aded devotæ, & addictæ, aded charæ, & familiares, in re tanta sint deceptæ. Securè itaque hos duces in negotio Religionis sequor.

Quid hereticus respiciendus sit

Tu verò, qui aliam aliquam sectatus es Religionem, quàm obsecro facti tui rationem reddere poteris? quando in illo tremendo iudicio interrogaberis? Respondebis fortè Iudici: Ided Catholicam deserui, quia putabam illam plenam idololatriam, & superstitionibus, & traditionibus hu-

humanis ; putabam in ea præfidere Antichristum ; putabam Catholicos nisi suis meritis, non tui sanguinis pretio.

Sed quid si tunc detersâ fascino diabolicâ, quæ jam mentem occupat, videas clarè te deceptum, quid consilii capies? non enim erit amplius pœnitentiæ, & resipiscentiæ locus. An fortè ignorantiam allegabis? At hæc non excusabit: quia faciliè veritatem cognoscere potuisses, si eam diligentiam quam res postulabat, præstitisses. Nec umquam tibi defuit justa ratio dubitandi, quæ te ad hoc stimulare debebat. Sicut ergò Judæos non excusabit, quòd per ignorantiam erraverint, quia veritatem cognoscere potuerunt; ita nec te excusabit. Ut enim absque flagitio posses à Catholica recedere, oportebat non solùm putare, & ob leves aliquas suspiciones opinari, sed certissimè scire, & omni affectu seposito exploratissimum habere, illa mala Catholicæ Religioni inesse, ita ut nullus amplius in animo relinqueretur scrupulus, nulla justa dubitandi ratio. Tantùm verò abest, ut hujusmodi certitudinem de erroribus

bus Ecclesiæ habueris, ut nulla, vel probabilis ratio tibi suppeditârit.

Quâ enim probabilitate, & specie veritatis in animum inducere potuisti, eam Religionem idololatriæ, & tantis erroribus esse obnoxiam, quam videbas à tot sapientiâ, & sanctitate vitæ illustrissimis viris, tot annorum centuriis cultam? quam tot miraculis, & martyriis confirmatam? quam toto orbe diffusam? in qua, & summa Doctorum concordia, & perpetua successio, & clara cum Apostolis continuatio, & connexio? Quomodo fieri potest, ut tot sæculis nemo Doctorum, nemo Sanctorum hanc idololatriam, has superstitiones, & errores notaverit?

Rursùm, quomodo in animum inducere potuisti, eam esse veram Christi Religionem, quæ DEum auctorem, & impulsorem omnium scelerum statuit? quæ hominibus arbitrii libertatem eripit? quæ studium bonorum operum è medio tollit? quæ portam latissimam omnibus sceleribus non minùs quàm Atheismus aperit? quæ subditos legibus, & obedientiæ Principum sub specie liber-

bertatis Christianæ eximit ? quæ antiquas, & damnatas hæreses plurimas ab orco revocat ? cujus auctores nullâ vitæ austeritate, nullâ morum sanctimoniâ commendati, nullis miraculis clari ; sed homines voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi, ambitiosi, maledici, feditiosi, apostasiâ, & sacrilegis nuptiis, vel præposterâ libidine infames, inconstantia doctrinæ incredibili ?

Denique si aliqua ex his novitiis Religionibus est vera : ergò concidit per tot sæcula Christi Ecclesia, eversum est Christi regnum, evacuatae sunt divinæ promissiones de Ecclesiae firmitate : prævaluerunt adversus eam portæ inferorum. Ergò tot sæculis Evangelium frustra prædicatum, frustra creditum, frustra tot gentes à paganismo conversæ, frustra Baptismus, & alia Sacramenta administrata, frustra suscepta jejunia, & carnis macerationes, frustra obita martyria, & tot millium sanguis pro Christi confessione effusus. Ergò perierunt omnes majores nostri : perierunt sancti Patres, perierunt tot Martyrum, tot Confessorum myria-

riades, tot DEO dovotæ animæ, sanctitate, miraculis, prophetiæ spiritu illustres. Omnes enim veræ Religionis, veræque justitiæ expertes fuere, omnes idololatriæ addicti.

Quòd si hæc falsa, blasphema, & vel cogitatu horrenda sunt, quæ fieri potuit, ut non adverteres, Religiones illas, ex quibus tam atrociam clarè deducuntur, falsas esse; aut saltem de illis non dubitares? Si dubitasti, cur non dedisti operam cognoscendæ veritati, ex qua tota salus tua suspensa est?

Matth. 7.

Monuit Dominus, ut attentè *nobis caveamus à falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quomodo non venit tibi aliquando in mentem cogitare, & vereri, ne fortè Lutherus, Calvinus, Menno, & similes ex numero sint illorum, à quibus Dominus cavendum monuit? Hi enim pulchrâ specie verbi DEI, & puri Evangelii oblecti prodierunt, quasi à DEO missi ad ovium salutem, & interim ipsas oves venenato doctrinæ suæ pabulo perdidierunt. *A fructibus, inquit, eo-*

rum

rum cognoscetis eos. Quis verò hic fructus? Seditioes, bella, expilatio, & everfio Ecclefiarum, ac Monafteriorum, vaftatio urbium, extinctio antiquæ pietatis, omnium licentia fcclerum.

Scimus ex Apoftolica informatione, multas hærefes noviffimis temporibus exorituras, multos pseudo-prophetas, & feductores fatanâ obftetricante prodituros in lucem. Quoties ergò nova aliqua doctrina Ecclefiæ adverfa emergit, ea nobis ut minimùm fufpecta cum fuo auctore habenda eft.

Omnes igitur, qui extra Catholicam funt, per DEI bonitatem, quâ conditi, & Chrifti fanguinem, quo redempti fumus, per æternam hæreditatem, quam in cælis præftolamur, & torrentem voluptatis divinæ, quo ibi, qui veritatem, & iuftitiam tenuerint, potabuntur, rogo & obteftor, ut negotium iftud quam maximè cordi habeant; ut perpendant, an folido fundamento nitantur; an feuri de fua Religione fint futuri in hora mortis, & cum ante Chrifti ftabant tribunal, in illo articulo,
cum

*Conclufio
Operis.*

cùm æterna, & immutabilis sententia erit excipienda. Examinent hanc nostram Consultationem, quam ad eum finem conscripsimus. Nusquam acquiescânt, donec omnia ritè excusserint, & πληροφορίαν in negotio tanti momenti sint assecuti.

Cogitent, quanta pœna eos maneat, si Religio quam tenent hæsesis est, & ipsi sunt hæretici. Hæsesim esse, & quidem pestilentissimam, omnes Doctores Catholici, omnes Academiae, & totus orbis Christianus (exceptis iis, qui eam sequuntur, quorum numerus ad alios est exiguus, & eruditio non magna) pro certissimo habent, & prorsus indubitato: ita ut innumeri sint, qui pro ea confessione mortem oppetere, & æternam animæ salutem exponere, sint parati.

*Quantum
peccatum
hæsesis.*

Maximum sanè peccatum est hæsesis, Primò, Quia facit ut homo iudicium suum præferat iudicio omnium Patrum, omnium Ecclesiæ Doctorem, omnium Conciliorum, & totius orbis Episcoporum. Comtemnit enim omnes illos tamquam homines spiritu DEI destitutos, & sibi

sibi soli, suisque sodalibus hunc spiritum arrogat: qua in re immane quantum est superbiæ. Secundò, Sponsam Christi, quæ est Ecclesia, censet adulteram satanæ, & filiam perditionis. Tertio, Impingit illi crimen idololatriæ: & varias superstitiones. Quarto, Ingerit multas blasphemias in sanctissimam Eucharistiam, & omnes Sanctos. Quintò, Omnia sacra indignis tractat modis. Sextò, Vicarium Christi vocat Antichristum, & mille in illum probra, & maledicta jactat absque ullo veritatis colore. Idem facit in omnes Ecclesiæ gradus, & ordines. Denique, omnis hæreticus optat evertere universam Ecclesiam, & totam extinguere Catholicam Religionem.

Continet itaque nostri ævi hæresis summam superbiam, multas atroces blasphemias, multa maledicta, & convitia, multa sacrilegia, & maximum nocentissimùmque odium in Christi Ecclesiam. Hæc enim quasi intrinsecè hæresi insunt, & habitualiter hæresis ad hæc omnia inclinatur, & quotidie actu excitatur, & impellit.

Ita omnes Catholici Doctores de hæ-

hæresi sentiunt, & res ipsa per se satis est perspicua. Majus itaque peccatum est hæresis cum suo fœtu, quàm innumera peccata Catholicorum.

*Quantam
penam me-
reatur.*

Ad Gal 5.
Coloff. 3.
1. Cor. 6. 1.
Tim. 1. & c.

Matth. 25.

Marci 9.
Pfal. 10.

Pfal. 20.

Nunc perpendant, obsecro, quantum erit hujus peccati supplicium. Si enim vel ob unum furtum, ob unam fornicationem, nisi pœnitentiæ hîc remedium subvenerit, ignem æternum homo sustinebit, ut Scriptura apertè docet: quantam pœnam sustinebit propter hæreseos peccatum, quod mille furtis, mille fornicationibus est gravius? Si pœna quam ignis noster naturæ vi infert, millicuplùm augetur, & ita cresceret, ut millicuplo gravior fieret; quàm horrenda, quàm impatibilis, & incomprehensibilis illa pœna foret? Nemo sibi blandiatur, non fore ibi pœnam ignis, sed solùm nescio quos terrores irati DEI, ut Calvinus fingit? Nimis id apertè Scripturis adversatur. *Ite, inquit, in ignem æternum. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Pones eos ut clibanum ignis*

en t
com
nis.
gnu
jusr
rum
tia.

C
igne
nibu
omn
nec
bun
quar
vet
torn
Don
verh

T
is, &
riam
bolc
illusi
navi
eis
nam
liger
re r
foco
P.

in tempore vultus tui Dominus in ira conturbabit eos, & devorabit eos ignis. Missus est pseudopropheta in stagnum ignis, & sulphuris, & alia hujusmodi. Eadem est omnium veterum, & Ecclesiæ Doctorum sententia.

Apoç. 10.

Certissimum itaque sit, fore ibi ignem verum, omnibus nostris ignibus majorem, & acriorem quo omnes hæretici ardebunt, & die, ac nocte in omnem æternitatem cruciabuntur, quamdiu erit infernus, quamdiu stabit cælum, quamdiu vivet Divinitas. Et ascendet fumus tormentorum ipsorum à conspectu Domini in sæcula sæculorum. Hæc verba fidelissima sunt, & vera.

Tunc maledicent deceptoribus suis, & magistris, à quibus in hanc miseriam deducti sunt. Maledicent diabolo, qui eos excæcavit, & variis illusionibus sub specie pietatis fascinauit. Maledicent & sibi ipsi, quòd eis aures præbuere, quòd doctrinam novitiam tam stolidè absque diligenti examine suscepere; quòd in re tanta exploranda tam cæci, tam socordes fuerint.

P. Lessius S. J. de fide capess. M Ne

Ne ergò in illud miseriarum pelagus præcipientes ruant, totum hoc Religionis negotium omni studio, ac diligentia discutiant, peritissimis ad eam rem consultoribus adhibitis.

Unum autem est, quod maximè sinceræ huic deliberationi officere solet: nimirum anticipata quædam opinio, quâ plurimi tenentur, de idololatria, superstitionibus, & abusibus Ecclesiæ Catholicæ. Primum ergò seponant parumper hoc præjudicium, & cogitent se hac in re falli posse. Incredible enim videtur, viros sanctissimos, & doctissimos; quales Ecclesia plurimos semper habuit, hanc idololatriam, si quæ sit, vel non vidisse, vel visam non solum non abiecisse, sed sedulò retinuisse, & coluisse. Antiqua est ista Mahumetanorum, & Iconomachorum calumnia. Et nulla umquam fuit hæreticorum secta, quæ infestis animis ab Ecclesia non discederit, atque errores graves non imposuerit. Hoc enim prætextu uti debent, ut jure videantur ab Ecclesia recessisse.

II.

Deinde lumen à DEO assiduè flagitent, quò liquidò possint cognoscere

*Requisita
ad inquisitionem
veritatis.*

I.

scere
verè
hibe
des
inqu
ter
Patr
stum
Han
tract
fatag
Illum
mian
ta d
Præ
cem
me a
sanct
Nota
lern
Erip
min
lunt
& f
sup
30 O
ben
tum
vera
dun
Cen

fcere, quæ sit vera Christi Religio, verâque Ecclesia, paratósque se exhibeant ad eam amplectendam. Fides enim est donum DEI. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Nemo sine Patris cœlestis illustratione ad Christum per veram fidem venire potest. Hanc ergò illustrationem, & hunc tractum precibus assiduis obtinere satagant. Dicant cum Propheta: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando ex hac vita discedam, dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deducant, & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Notam fac mihi viam, in qua ambularem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis salutis meæ: Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es.* & similia.

Joan. 6.
Math. II.
& 16.
Lucaë 10.

Pfalm. 12.

Pfal. 42.

Pfalm. 142.

Orationi jungant eleëmofynam, & beneficentiam in pauperes. Quantum enim hæc duo valeant ad lumen veræ Religionis à DEO impetrandum; ostendit exemplum Cornelii Centurionis, cui ab Angelo dicitur:

III.

M 2

Cor-

Act. 10.

Corneli, orationes tuæ, & eleëmofynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI. Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Hujus ergò exemplum imitentur, qui à DEO in hoc negotio veræ Religionis dirigi exoptant.

IV.

Interea diligenter, & magno cognoscendæ veritatis desiderio, perpendant ea, quæ in hac Consultatione proponuntur, & si quæ dubia, vel non satis intellecta remaneant, adeant Doctores Catholicos, qui facile ipsis in omnibus ita satis facient, ut tandem mens ipsorum plenam quietem in luce veræ Religionis assequantur.

Hoc vovemus, hoc precamur, hoc te omnibus votis, omnibus precum suppliciis obsecramus, ò Lux vera, Lux æterna, omnium illuminatrix hominum pariter, & Angelorum. Etsi enim diabolicâ fraude seducti, à te, & Ecclesiâ tuâ recesserunt; tuæ tamen sunt creaturæ, ad imaginem, & similitudinem tuam formatae, pretio Sanguinis tui redemptæ, ad cœlestem hæreditatem, & consortium tui regni conditæ, &

VO-

vocata. Non pereat tam præclarum opus tuum, quod tibi tanti stetit, quod æternas tibi referet laudes agnitâ veritate, quod ad gloriam tuam splendebit in omnem æternitatem. Discute tetram caliginem, quæ nunc mentem obsidet; amove fascinum diaboli, quo mentis oculi tenentur, & phantasia pervertitur: incute metum acrem ignis inextinguibilis, & incendii æterni, omnibus verâ Religione destitutis præparati: iniice ardentem veritatis cognoscendæ, & salutis consequendæ amorem: ostende illis lucem miserationum tuarum, ut cognoscant ovile tuum, & intelligant ovile, in quo antè fuerunt, non esse ovile tuum, sed diaboli: in quo quicumque manent, tamquam oves reservantur non ad vitam, sed ad perditionem, ut sint pabulum igni, esca morti. *Mors depascet eos.* Reduc illos ad ovile tuum, ut in eo salutari pabulo doctrinæ tuæ, & mirabilium Sacramentorum tuorum refecti, sanentur ab antiquis satanæ plagis, & crescant in tuo spiritu, spiritu humilitatis, & timoris Domini, spiritu mansuetudinis, & charitatis, & vegetentur ad æternam vitam, in qua nobiscum,

Psalm. 48.

post momentum vitæ hujus, confortes effectû gloriæ, & beatitudinis tuæ, te laudent, te benedicant, & glorificent ævo sempiterno.

*Monitio ad
Catholicos.*

Nunc mihi breviter monendi Catholicici, ut apud se perpendant, quantum sit hoc veræ Religionis, quod ipsis præ innumeris aliis divino favore obtigit, beneficium; quantoque nexu illius causâ divinæ Majestati sint obstricti. Paucorum hoc donum est, si infinitum, vel errantium, vel dubitantium numerum spectes, eoque etiam nomine pluris æstimandum. Cogitent in rebus humanis nihil huic comparandum; non voluptates, non honores, non auri, argentique myriades, non scepra, & imperia. His omnibus veræ Religionis margaritarum infinitis partibus esse præstantius, & pretiosius. Qui illud possideat, hunc verè divitem esse, etsi à rebus terrenis sit inops; utpote civem Sanctorum, filium DEI, hæredem regni, & cohæredem Christi; si tamen illi consensuè vivere velit. Qui illo careat, eum ter miserum esse, etsi omnibus bonis hujus vitæ circumfluat. Hanc esse certissimam, & unicam ad æternam beatitudinem

viam, à qua, quicumque deflexerit, in sempiternum exitium certissimè ruiturum. Atheismi dogma esse, quemque in sua Religione salvari posse. Sicut enim unus est DEus, unus Christus, una veritas, una rectitudo, una iustitia: ita est una fides, & una Religio, & una DEI, Christi-que Ecclesia, seu congregatio, extra quam salus esse non potest. Caveant ne vel legendi, audiendive curiositate, vel hæreticorum incauta consuetudine, vel placendi cuiquam mortalium studio, vel timore damnorum, aut vitæ temporalis, vel spe lucrorum, vel ambitu honorum, vel aliam ob causam, tantum bonum prodigant. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* At qui Religionis damnum facit, detrimentum pariter animæ sustinet. Non ergò vereatur omnia hujus retinendæ causâ exponere, cujus amissio perditio est vitæ æternæ. Infelices animas illas, & nomine Christiano indignas, quæ parvi faciunt Catholicæ Religionis excidium, modò pace temporali, ad reculas, & quisquilias hujus vitæ

congregandas, vel retinendas frui possint. Magno stabit illis hæc amentia, & vilipensio tanti boni, postquam breve hujus vitæ momentum prætervolaverit, & ad interminabilem æternitatem repente devolutæ fuerint

Multi seductores exierunt in mundum: multi sub veste ovina, sub blanda verbi DEI specie contegunt lupinam rabiem, in perniciem ovium Christi. Monuit Dominus non semel, ut ab his attentè caveamus; monuerunt crebrò Apostoli, & sancti Patres. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: qui amat periculum, peribit in illo.* Numquam tempora fuere magis periculosa, & infidiosa salutis: numquam major diaboli fascinatio, major spiritus vertiginis tenuit homines: numquam erroris operatio efficacior, & mentium excæcatio tetrior. Quæ omnia meritò occupant animos eorum, qui magnum illud Catholicæ, & Orthodoxæ Religionis donum parvi aestimant, & rebus temporalibus proponunt.

Eccles. 13.
Eccles. 3.

Qui

Quibus ergò sua salus est cordi ,
 conferuent hanc cœlestem gemmam ,
 eamque omni studio custodiant : quia
 ex ea vita procedit. Et quia do-
 num est supernaturale , quod sine
 ope divina , nec obtineri , nec con-
 servari potest , tantis undique pe-
 riculis , & hostibus nos cingenti-
 bus ; auxilium à DEO , & sibi , &
 liberis suis , & toti familiæ ad hunc
 scopum assiduè implorent ; eleē-
 mosynis , & aliis pietatis officiis
 divinum numen propitient. (*Bo-
 na est enim oratio cum jejunio , &
 eleēmosyna magis , quam thesauros
 auri recondere.*) Vitam suæ Reli-
 gioni congruentem instituant , &
 rerum terrenarum sitim expectatio-
 ne cœlestium , & æternorum bo-
 norum restinguant ; memores illi-
 us sententiæ Apostolicæ : *Qui vo-
 lunt divites fieri , incidunt in ten-
 tationem , & in laqueum diaboli ,
 & desideria multa inutilia , & no-
 civa , quæ mergunt homines in inte-
 ritum , & perditionem. Radix enim
 omnium malorum est cupiditas , quam
 quidam appetentes erraverunt à fide ,
 & inseruerunt se doloribus multis.*
 His præfidiis inter discrimina ho-
 rum

Tob. 12.

1. ad Tim.
6.

rum temporum tuti incedere, &
veræ, unicæque Religionis donum
factum, tectumque præstare, & per
illud vitam æternam adipisci
facilè poterunt.

REGI SÆCULORUM
IMMORTALI, ET INVISIBILI

SOLI DEO

HONOR, & GLORIA
IN SÆCULA SÆCULORUM,

A M E N.

